

vione plani, in quo stamus, quam solus visus aestimat. Ita spherico
incumbit ex altioribus principiis speculari causas hujus mutatio-
nis; ut demonstrat Kepl. in epit. sua Astron. p. 5. & alibi passim, in-
primis in toto libro 4. Vide etiam VIII. Probl. nostrum.

VI. Probl. Cosmographicum.

An terra sit centrum Mundi?

Ita vulgò putant, pretendentes, ejus cum gravitatem, tum
ignobilitatem, tum verò maximè equalem ejus undiq; à stellis
fixis distantiam, quam arguit equalitas & constantia tam penes
magnitudinem visibilem quam penes motum.

Sed nulla ratio militat. Prima enim solvitur 1. negando
terram in loco suo gravitare, 2. distinguendo inter centrum gra-
vitationis, quod conceditur de terra, & inter centrum magnitu-
dinis.

In altera ratione 1. negatur terram esse ignobilissimum cor-
pus, certò enim respectu non immeritò est nobilissimum, 2. N. V. C.
Centrum enim utpote medius locus, non est ignobilissimus sed
prestantissimus, & i. prestantissimo sideri debitus locus. 3. Iterum
N. V. C. Non enim necesse est loca respondere corporibus nobilita-
te, si usus aliud postulet.

In tertiâ ratione distinguendum venit centrum sphaerae
Physicae, quae est machina totius universi, à centro sphaerae Opticae.
Voco autem Opticam sphaeram, quam oculus licentia Optica sibi
imaginatur & circa se q. architectatur, ponens seipsum in centro,
& non minus se in centro positurus, etiamsi locatus esset in stella-
rum fixa aliqua, quo tamen casu (ne quid dissimulem) multa aliter
se habitura essent. 2. Distinguendum inter veram equalitatem
magnitudinis distantiae, & inter apparentem. Nimum enim
intervallum, quod stellas inter & domicilium nostrum interia-

B

ces, non